



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Dæmones qui sunt in inferni carcere, torquentur ab igne.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ARTICULUS II.

Utrum demones ab igne torquantur.

NOta. Duplex potissimum damnatorum poena distinguitur. Prima consistit in privatione visionis beatificæ, & dicitur poena damni, hoc est, poena quasi configuens essentiam damnationis. Secunda consistit in ignis cruciatu, & dicitur poena sensus, quia ignis naturaliter vim habet cruciandi, & cruciat animam, mediante sensu. Utramque damnatis omnibus non solum hominibus, sed etiam demonibus deberi, probant Scholastici, ex eo quod per peccatum mortale, qui peccat, sive homo sit, sive Angelus, avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam. Unde æquum est, ut qui damnantur, quia non nisi propter peccatum mortale damnantur, & puniantur poena damni: qui enim sponte sese à Deo avertit, dignus est ut in æternum visione Dei careat; & puniantur poena sensus, eaque gravissima, qualis est cruciatus ignis: qui enim inordinatè, & cum Creatoris injuria sese convertit ad creaturam, dignus est ut à creatura gravissimè crucietur.

Nota iterum. Quod demones visione Dei intuitiva sint privati, & ex hac privatione acerbissimum dolorem percipiant, in dubium revocari non potest. Sed quaeritur utrum præter poenam damni patiantur etiam poenam sensus, hoc est, ab igne torquantur? Eos enim non nisi post extremum judicium igne crematum iri tenere multi ex antiquis Patribus, pro quibus omnibus unum hic citamus Augustinum, sic loquentem lib. 13. cap. 24. *Desertores Angeli... ita in secundam mortem post ultimum præcipitabuntur judicium, ut nec illic vita careant: quandoquidem etiam sensu, cum in doloribus futuri sint, non carebunt.* Nihilominus sit

RESPONSIO I.

Demones, qui sunt in inferni carcere, torquentur ab igne.

Prob. Quia animæ reproborum hominum statim post mortem præcipitantur in infernum, ibique animæ eorum, qui cum actuali mortali peccato mortui sunt, pro meritis suis ab igne cruciantur. Ergo pariter demones, qui illic sunt, cruciantur ab igne. Consequentia negari non potest: non enim est credibile, Deum demonibus, quam animabus reprobis, indulgentiorem esse. Antecedens verò constat ex Florentina Synodo in litteris sanctæ unionis, ubi ex unanimi Græcorum & Latinorum consensu definitur, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas*, (quia nimirum illic qui cum solo originali decedunt, sola poena damni; qui verò decedunt cum actualibus mortalibus, poena damni simul & poena sensus plectuntur.)

Hoc argumentum suggerit S. Thom. hic q. 64. a. 4. ad 3. *Aliqui dixerunt, inquit, usque ad diem judicii differri poenam sensibilem tam demonum, quam animarum, & similiter beatitudinem sanctorum differri usque ad diem judicii: quod est erroneum, & repugnans Apostoli sententiæ, qui dicit 2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus in Cælo. Alii verò licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de demonibus. Sed melius est dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus & malis Angelis: sicut idem judicium est de bonis animabus & bonis Angelis.*

RESPONSIO II.

Demones in inferno torquentur ab igne corporeo. Est contra Origen. lib. 2. Principiorum cap. 11. docentem non verò & corporeo igne, sed tantum metaphoricè damnatos in inferno cruciari. Sententiam ejus S. Hieronymus fideliter exponit in sua ad Avitum epistola, his verbis: *Ignis quoque gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur... & quidquid fecerimus in*

vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur; ac præteritas voluptates mens intuens, conscientia puniuntur ardore, & poenitudinis stimulis confoditur. Itaque ignem inferni Origenes constituit in continuis & acerbissimis conscientie remorsibus, præteritorum peccatorum memoria excitatis.

Mentem Origenis secutus esse videtur S. Ambrosius lib. 7. in Luc. c. 14. *Neque, inquit, corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc idè, quia... si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam crudelitatem quandam contrahat veterum & recentiorum delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Et Theophylact. in cap. 9. Marci, vermem & ignem similiter exponens metaphoricè: *Vermis autem, inquit, & ignis, qui peccatores puniunt (in altera vita,) uniuscujusque conscientia est, & memoria eorum, quæ in hac vita turpia commissa sunt, quæ tanquam vermis consumit, & sicut ignis incendit.* Sed contra illos

Prob. Resp. 1. Ex Scriptura in hunc modum. Demones in inferno eodem cremantur igne, quo cremabantur homines reprobi, juxta illud Christi Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus.* Atqui homines reprobi in inferno cremabantur igne verò & corporeo. Ergo, &c.

Prob. min. Ex veteri Testamento. Nam dicitur Eccli. c. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Et c. 21. *Stuppa collecta Synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* Isaïæ c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et cap. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Prob. Pariter ex novo Testamento. Nam dicitur Matth. c. 3. *Paleas comburent igni inextinguibili.* C. 5. *Qui dixerit: Fate, reus erit gehenna ignis.* Cap. 7. *Omnis arbor, quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* C. 13. *Colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* Et Marci c. 9. *Bonum tibi est lucum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur: omnis enim igne salietur.* Et Apoc. c. 14. *Cruciabitur igne & sulphure, &c.* Quoties igitur Scriptura, tam vetus, quam nova, loquitur de tormentis reproborum hominum in altera vita, ignem commemorat. Verba autem Scripturæ secundum proprietatem accipienda sunt, quando nihil obstat; & hic quod obstat, nihil potest afferri. Utraque igitur Scriptura, tam vetus, quam nova, de verò & corporeo igne intelligenda est. Ergo, &c.

Prob. Resp. 2. Ex Patribus. S. Cyprianus in sua ad Moysen & Maximum Epistola de laude martyrii, sic loquitur: *Sæviens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure & gemitu, & eructantibus flammis per horrendas spisse caliginis noctes sæva semper incendia camini fumantis expirat. Globus ignium artatus obstruitur, & in varios poenæ exitus relaxatur. Tunc sævienti plurima genera tum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciavit.*

S. Hieronymus in epist. ad Avitum, inter Origenis errores numerat, quod inferni ignem, quo torquentur impiorum animæ, metaphoricè interpretetur, eumque constituat in conscientie remorsibus.

S. Augustinus lib. 21. c. 10. hæc habet: *Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & demonum, solida hominum, ærea demonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, demones autem spiritus sine corporibus herentes, fumendo poenam, non impetriendo vitam, corporibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut veritas dicit.*

S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. sic interrogatum Petrum: *Gehennæ ignem esse incorporeum, an corporeum fateris?* respondentem inducit his verbis: *Ignis gehennæ*